205

1252. 3. 5 Idus Martii Ex Orig. Arch. Reg.

## Innocentii IV. Confirmatio donationis Castrorum Ratibor Cozela et Cessech Cruciferis.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis . Magistro et fratribus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Prussia. Salutem et Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod quondam M. dux de Opol perpetue salutis obtentu de Rachibor Cozela et Cessech Castra Vratislavien: dioc. tunc ad ipsum hereditario iure spectantia, cum iuribus et pertinenciis eorum, vobis ac per vos hospitali et ordini vestro pia et provida liberalitate donavit, prout in patentibus literis confectis exinde, plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem duce in hac parte provide factum est, in alicujus prejudicium non redundat, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit

incursurum. Dat. Perusii V. Idus Martii, Pontificatus nostri Anno decimo.

Ta kopia przepisana z Oryginału pargaminowego d. 18 Pazdziernika Roku 1782. U dołu na Jedwabiu Zoltym i Pąsowym wisi ołowiana pieczęć. Na iedney stronie tey pieczęci są wyciśnione Osoby SS. Piotra i Pauła z literami u gory. Na drugiey zas Napis Innocentius P.P. IIII.